

3. Item statuimus et ordinamus quod si aliquis cursorum reciperet aliquam litteram a camerario domini pape vel ab eius auditore, statim debeat assignare ipsam litteram magistro cursorum, et si non assignaret omne dampnum quod evenitet societati cursorum patiaturs cursor predictus qui hoc deliquerit. 25

4. Item constituimus et ordinamus quod si aliqua persona vellet facere fieri aliquam citationem et cursor qui fuerit requisitus non posset se concordare cum illa, magister cursorum debeat ipsos concordare cum uno socio de societate cursorum. 30

5. Item constituimus et ordinamus quod si aliquis cursor esset requisitus ad faciendum citationem supradictam et aliquis alius acciperet eandem, debeat solvere societati cursorum duos florenos aureos et restituere lucrum quod austulerit cursori predicto primitus requisito. 35

6. Item constituimus et ordinamus quod omnes litteras quas receperit magister cursorum a domino camerario dictus magister dividere debeat infra cursores sicut iter tanget eos, et si magister non datet iter sicut tangit per ordinem, solvere debeat unum florenum de auro, et ipse magister non valeat recipere aliquod iter pro se usque dum fuerit magister, et si reciperet, solvere debeat .V. florenos aureos et amittere iter. 40

7. Item statuimus et ordinamus quod quandocumque papa exiret ad missam vel ad vespervas, cursor qui non erit presens solvere debeat .XII. denarios nisi habuerit iustam excusationem, et si magister cursorum non erit, solvere debeat unum turonensem de argento. 45

8. Item statuimus et ordinamus quod si aliquis cursor iret ad petendum aliquit vicecancellario, referendario, notariis pape, prelati, procuratoribus et ambassiatoribus sine licentia magistri, debeat solvere duos florenos aureos et redere lucrum quod recipiet a predictis, partem illius lucri amisurus secundum tenorem litterarumstrarum. 50

9. Item statuimus et ordinamus quod si aliquis cursor iret extra curiam in servitio domini pape, debeat habere sortem de omnibus rebus que erunt dividende inter cursores usque ad .VI. hebdomadas, a .VI. hebdomadis ultra perdat sortem de omnibus rebus predictis, et dum sumus in partibus citramontanis nullus debeat habere sortem de predictis nisi usque ad .XV. dies. 55

10. Item statuimus et ordinamus quod si aliquis cursor haberet litteras de gratia, a die qua recessit de curia usque ad diem qua reversus fuerit non debeat habere sortem de predictis. 60

11. Item statuimus et ordinamus quod si aliquis cursor iret extra curiam in suo proprio servitio, usque ad .XV. dies debeat habere sortem de rebus supradictis, post .XV. dies debeat amittere sortem de ipsis rebus.